

faciunt, perperam tamen iis abuteretur, si quis baptismi necessitatem nimium constringeret, nec sacramenti hujus privationem ab æternæ salutis dispendio unquam sejungi posse crederet. Multi certe obierunt, antequam ea, quæ Christus Nicodemo in tenebris & quasi in aurem dixerat, ab ejus Apostolis in luce totius mundi prædicarentur, seu antequam sufficiens baptismi promulgatio ubique fieret. Quis illos ob defectum baptismi damnare velit, qui non prius obedire potuerunt? Quin etiam post solennem baptismi promulgationem in toto orbe factam non tam absoluta est baptismi necessitas, quin sola fides ad salutem illis sufficiat, qui baptismi desiderio flagrantis voti sui compotes fieri nequeunt. Neque solis martyribus hoc privilegium indulgeri debet, quod a Gennadio *a)* aliisque factum deprehendimus. Cum etiam Martyres non suo sed Christi sanguine per fidem apprehenso salutem obtineant, nihil obstat, quo minus & alii fideles Flaminis baptismi imbuti hoc beneficio gaudeant, ut in casu necessitatis baptismi privati æterna saluti non priventur.

*a) de dogmat. eccles. cap. 74.*

#### §. XXIV.

Latronis cum Christo crucifixi exemplo id probavit Augustinus in libris de baptismo *b)* & quæstionibus ad Leviticum, *c)* sed utrumque locum retractavit, incertum esse asserens, an baptizatus non fuerit, *d)* imo quod baptizatus fuerit, magis probabile videri. *e)* Unde & alibi *f)* ex latronis exemplo nullum præjudicium contra baptismi necessitatem captari aut tentari cupit, cum evinci non possit, quod latro ille ante crucis supplicium baptizatus non fuerit, & præterea credibile videatur, hunc latronem ex aqua illa, quæ de vulnerato Christi latere emicuit, tanquam sacratissimo baptismi perfusum fuisse. Verum illam speculationem de baptismo latronis per aquam e Christi latere fluentem Augustino relinquimus, & quamvis fieri potuerit, ut

C 3

inter